

Correctus

M E L I S S A

EUROPAEA FOLIA SEXIES IN ANNO LATINE EDITA

Editrix Responsalis: Diana LICOPPE - avenue de Tervueren, 76-1040 BRUXELLIS

TEL: 02/ 734 55 42

DE "THESIBUS VESONTINIS" RENOVATIS

In novissimo fasciculo ab Associatione Professorum Linguarum Antiquarum Academiae Cadomenensis edito (A.P.L.A.A.C. Bulletin n^o 22, Nov. 88), invenimus propositum "Novarum Thesium Vesontinarum", quae proxima aestate materia disputationis erunt in Universitate Aestiva Carcasonensi; ibi enim textus nationalis (Francogallicus) confingendus erit de "linguarum antiquarum ratione didactica".

Quibus in thesibus haec patefunt quae maioris

auctoritatis docentes in Francogallia sentiant de linguae Latinae loco et scopo in programmatibus scholaribus. Quare nobis utile visum est harum thesium argumenta ~~per~~ lectorum oculos ponere atque sententiam nostram dicere. Hob

Primae "Vesontinae Theses", quae dicuntur, anno 1979^o divulgatae sunt. Quas excogitaverant sodales Associationis Regionalis Linguis Antiquis fovendis, Vesontii paulo ante conditae. Haec associatio prima huius generis fuit in Francogallia. Deinde in ceteris Francogallicis regionibus eiusdem generis associationes conditae sunt, quae postea confoederatae sunt in generalem associationem C.N.A.R.E.L.A. Theses Vesontinae editae sunt circiter decennium post hunc annum 1968^{um}, quo in Francogallia in discrimen venit humana societas industrialis. Petores anno 1973^o res factae sunt, propter crisin oeconomicam tunc inchoatam. Ho

QUID NOVI

Duae novae rubricae inventientur ab hoc Melissa fasciculo. Primam curabit Theodoricus Sacré qui litteras Latinas docet in studiorum universitate Antverpiensi; qua sub rubrica, cui titulus erit "**Ab oblivione vindicetur**", textus proponet a tempore litterarum renascentium conscriptos qui hodie vix inveniri possunt quamquam sunt et attractivi et laute conscripti. Saepe numero magistri dolent quod in promptu non habeant bonos textus Latinos proponendos ad materiam scholarem renovandam; tales quales optantur continuo proponentur.

Alterius rubricae titulus erit "**Simplicissime**"; sub hoc titulo generali diversa argumenta tractabit Francisca Deraedt verbis sententiisque quam simplicissimis. Propositum est textus praebere tam faciles lectu ut tirones alliciantur stimulenturque; nonnulli etiam prodesse poterunt magistris, qui cupiant textus simplicissimos invenire quos discipuli primi cycli intellegere possint. Semper norma grammaticalis classica servabitur; nam pro certo habemus hanc immutatam normam maximo emolumento esse linguae Latinae in hoc mundo mutabili.

Institutio post annum 1968^{um} reformata est ut apta fieret ad multitudinem docendam. Quam ad finem adipiscendum statutum est ut niteretur in tribus principalibus disciplinis, quae sunt lingua Francogallica, linguae vernaculae et mathematica. Sine mora mathematica praevaluit atque sola adhibita est ad discipulos seligendos, id quod iocose vocatur "terrorismus mathematicus". Eodem tempore linguarum antiquarum institutio differebatur, linguae Latinae usque 4^{um} annum, linguae Graecae usque 2^{um} (in Francogallia humaniora studia constant e septem annis, quae inverso modo numerantur: prima vocatur sexta, paenultima prima; ultima eademque septima vocatur terminalis). le 14

Quibus in memoriam breviter revocatis, venimus ad propositum novarum Thesium Vesontinarum. E quatuor partibus constant:

1. **Qualis sit anno 1988^o status linguarum antiquarum eorumque qui eas docent.**

Pedetemptim sed constanter augetur numerus discipulorum qui linguam Latinam discendam eligant in 4° anno; anno 1987°, 27% eam elegerant atque eadem fere proportio invenitur in Magna Britannia et in Italia. Sed iam post unum annum institutionis Latinae maior discipulorum pars "evaporatur" (circiter 60%). Quibus conspectis, thesium auctores putant iuvenes Europaeos linguae Latinae libenter studere propter traditum cultum civilem, sed nimis mature studia Latina relinquere, non, ut autumant maledicentes, propter taedium captum, sed quia discipuli in 2° cyclo a linguis antiquis consulto avertuntur. Unde fit ut linguarum antiquarum institutio fiat disciplina primi cycli, quasi "propaedeutica".

Haec est auctorum conclusio: lingua Latina non habet statutum definitum; servatur, ut disciplina subsiciva, tantum propter patrum memoriam pondusque traditionis necnon propter constantem clientum postulationem. Cum iterum institutio scholaris *ue* mox reformabitur, oportet linguas antiquas docentes hanc disputationem participant quae non solum ad Francogalliam pertinet sed ad totam Europam; oportet proponant et imponant suas sententias.

2. Quo tendat institutio litterarum.

le Cum celeriter increscant res technicae, oportet "didactici" non solum intelligentiam professionalem in sua disciplina habeant sed etiam "flexibilitatem" et "adaptabilitatem", ita ut in condicionibus iterum iterumque renovatis recte facere sciant.

Quae cum ita sint, tres res exiuntur:

a) acquirere categorias linguisticas et vocabularium fundamentale: dilucide "communicare" posse.
b) iudicium exercere, quo seligi possint informationes textuum vel imaginum; harum materiae analysisin et synthesisin exercere.

c) aptum fieri ad suum ipsius situm discernendum in grege "socio-professionali" et in condicionibus historicis, necnon ad analysisin faciendam *mutantium. mutatarum vel ventularum*

→ In his necessitatibus satisfacere pertinet generatim ad scientias humanas atque praesertim ad disciplinas litterarias.

Experti scimus scientias exactas specialistas suae exiguae provinciae peritissimos (medicos, ingeniarior, varios technicos...) formare; qui tamen plerumque ignari sunt rerum socialium intellectualiumque. Inde maxime timendum est ne se adaptare non possint cum novis condicionibus occurrunt.

Quibus rebus imponitur "principium paedagogicum capitale": in posterum, potius quam "contenta" docenda, "categoriae formales reconvertibiles" (de sermone cogitationeque) sunt acquirendae, fortiter vitam socialem eiusque historiam prospectando. Vivimus aetatem epistemologiae; iterum inveniendae sunt "tramae conceptuales".

3. De linguarum antiquarum utilitate; de earum loco in novis systematibus educativis.

Disciplinae classicae partes sunt scientiarum sermonis textuumque.

? Eis, qui censent maximi momenti hodie esse "formalisationem abstractam" "instrumentaque conceptualla", patet utilitas momentumque disciplinarum classicarum: non habent practicam utili-

tatem, sed proficiunt ad "formationem intellectualem". Addendum est, quod pertinet ad rem socialem, institutionem linguarum antiquarum hodie iam non tendere ad homines classis regentis seligendos.

Sequuntur tres modi huius responsi, quod linguae antiquae problematibus exeuntis saeculi nostri praebere possunt:

1. acquisitio categoriarum sermonis cogitationisque:
 - "formalisatio abstracta" categoriarum grammaticarum (comparatio linguarum antiquarum cum linguis vernaculis);
 - exercitatio "lexicalls formalisata", quae iuvat in disciplina sermonis patrii aliarumque linguarum vernacularum, necnon vocabulorum scientificorum;
 - cogitatio de "spatiis socialibus mentalibusque" remotis a nostris hodiernis; cuius optima occasio praebet textibus originalibus legendis.
2. linguae antiquae favent cohaerentiae linguisticae culturalique Europae.
3. per linguas antiquas discipuli directe inveniunt problemata remotarum societatum humanarum. Longum intervallum eorum cogitationem de rebus artificiosis intellectualibusque incitat.

Qualem locum tenere possunt linguae antiquae, quibus sint scopi supra definiti, in institutionibus Europaeis unificandis? Verum locum habent, prout paedagogia ad modum hodiernum conformetur:

a) in collegio (quod respondet ad quattuor primos annos), disciplina linguarum antiquarum tantum sit initiatio ad formas linguisticas: acquirere vocabula praecipua, quae sunt fundamenta vocabulorum linguae Francogallicae aliarumque linguarum vernacularum, necnon vocabulorum scientificorum; cogitare de antiquis societatibus humanis, ut discipuli acquirant modum cogitandi historicum. Initiatio ad linguam Latinam in 6^a et 5^a classe pertinet ad omnes discipulos; est quaedam archaeologia communicationis atque ponit fundamenta "sermonis culturalis communis". Patet talem initiationem vere democraticam esse.

b) in lyceeo (quod pertinet ad tres ultimos annos), linguae et culturae classicae discentur, ut pars culturae litterariae; valde optandum est ut fiant fundamentum novae viae scholaris, viae litterariae, iuxta viam scientiarum exactarum ponendae.

4. De institutione novo modo ordinanda. De nova paedagogia proponenda.

a) linguam discere et textus legere manent fundamenta studii. Institutio tendit ad "acquisitionem syntheticam categoriarum vocabularii" et "acquisitionem vocabularii basalis, nitentis in usus frequentia". Translatio in linguam Francogallicam non est studii finis, sed manet optimus modus, quo demonstratur intelligentia textus originalis.

Oportet linguae antiquae non aemulentur linguas vernaculas. Contra iuvant studium sermonis patrii et duarum aliarum linguarum vernacularum.

b) textus originales legere et de textibus cogitare est scopus "socio-litterarius" studii: analysis informationis, quae in textibus continetur, ad consilia in verbis detegenda; analysis "formarum aestheticarum

sequitur p. 15

M. Porcii Catonis
PEREGRINATIO GRANVICENSIS

Comoediuncula absurda

legitar antiquitates:
saline
salline
sallere

Personae: M. Porcius Cato; duae praegustatrices;
cantor; spectatores et spectatrices (= membra et
hospites Tabernae Latinae).

Cato: Salvete, amici! Ego sum Marcus Porcius Cato;
Carthagine venio... (*Ficos in pavementum demittens:*)
Hos fructus dulcissimos inde vobis attuli. Scitote
illam urbem, quae tridui iter a nobis abest, iam opes
suas recuperasse! Ceterum censeo Carthaginem esse
delendam...

(*Unam ex reliquis ficis manu tangens:*) O non... Siccae
videntur esse hae fici, non iam recentes. Quid hoc est
negoti...? Ah, nunc memini: Carthago iam plus duo
milla annorum deleta jacet; ergo amplius deleri non
potest. Ne nos quidem Romae sumus, sed Granivici,
in oppido mediae Fenniae.

Quaesio, colligite illas ficos, puellae! (*Praegustatrices
modeste parent*)

... Volebam dicere: Ceterum censeo Carthaginem...
aesh, non Carthaginem, sed pernam esse sallendam!
Ita vero! Ut videtis, pernam quoque vobis attuli.
(*Pernam promens:*) Haec est perna. (*Pernam depo-
nens:*) Neque solum pernam, sed etiam praecepta de
perna sallenda attuli. (*Acervum papyrorum promens:*)
Quin etiam in linguam Fennicam ea convertenda
curavi - non ideo, quod vos linguam Latinam non
intellegatis, sed, ut etiam amici vestri linguae Latinae
imperiti iis uti possint.

Puellae! Dividite omnibus haec praecepta! Unum
exemplar mihi relinquite! (*Praegustatrices praecepta
omnibus dividunt*).

Haec praecepta ultimo capitulo opusculi mei De agri
cultura continentur. Hoc opusculum - mirabile dictu
- iam nusquam reperitur, nisi fortasse in aliqua
bibliotheca. Ex tabernis autem librariis frustra id
quaeritis: omnia enim exemplaria etus empta sunt.
Tanta hominibus est cupiditas praecepta mea cogno-
scendi.

His praeceptis vos quoque sine dubio mox utemini.
Nam, ni fallor, Saturnalibus appropinquantibus
soletis pernas sallere?

Praegustatrices: Ita vero.

Cato: Ergo celeriter haec praecepta percurramus.
Num quis hic est, qui exemplar eorum ante se non
habeat?... (*Silentium*)... Ergo: Pernas sallere sic
oportet in dolio aut in serria:

Praeceptum primum: Cum pernas emeris, ungulas
earum praecidito.

Praeceptum secundum: Salis Romaniensis moliti in
singulas semodios.

(*Capsam salis promens:*) Haec capsula salem continet -
non quidem Romaniensem, sed utique salem. Hic
autem parum est salis ad pernam sallendam. Si
septem aut octo capsulas huius similes sale impleverit-
tis, tum demum semodium salis habebitis.

Praeceptum tertium: In fundo dolii aut serriae sale

sternito, deinde pernam ponito, cutis deorsum
spectet, sale obruito totam.

Praeceptum quartum: Deinde alteram insuper
ponito, eodem modo obruito.

Praeceptum quintum - et hoc quidem praeceptum
maximi est momenti: Caveto, ne caro carnem tangat!
Nolite ridere! Ego expertus dico: si caro carnem
tetigerit, omnia male eventient.

Praeceptum sextum: Ita omnes obruito.

Praeceptum septimum: Ubi iam omnes composueris,
sale insuper obrue, ne caro appareat (sic!); aequale
facito.

Praeceptum octavum: Ubi iam dies quinque in sale
fuerint, eximito omnes cum suo sale.

Praeceptum nonum: Quae tum summae fuerint, imas
facito eodemque modo obruito et componito.

Videtis rem esse simplicissimam: summae imae, imae
summae fiant!

Praeceptum decimum: Post dies omnino duodecim -
mementote: nec plus nec minus! - pernas eximito et
salem omnem detergeto et suspendito in vento
biduum.

Praeceptum undecimum: Die tertio extergeto spongia
bene, perunguito oleo, suspendito in fumo biduum.

Cavetote, ne huius praecepti obliviscamini! Nam si
pernam in fumo non suspenderitis atque hospitibus
vestris crudam carnem praebueritis... uh, me her-
cule, non dico aliud!

Praeceptum duodecimum: Tertio die demito, perun-
guito oleo et aceto commixto, suspendito in carnario.

(*Lagenam olei promens:*) Haec lagenam oleum continet.

(*Lagenam olei deponens, lagenam vini promens:*) Haec
lagenam acetum continet... oh non, senex fieri videor!

(*Lagenam vini deponens, lagenam aceti promens:*)
Hanc lagenam promere debui; haec acetum continet.

Utinam vos oleum et acetum sciatis commiscere!

Praeceptum tertium decimum - et quidem ultimum:
nec tinia nec vermes tangent.

Hoc quoque praeceptum est. Scitote hanc pernam
neque a tinia neque a vermibus tactam esse!

Habetis igitur tredecim praecepta aurea - aurea,
perpetua semper dignissima vita! Hoc modo cum
pernam salveritis, amicos et amicas ad cenam invi-
tatote! Certe esurient.

Praegustatrix I: Mihi iam venter crepitat et odor
pernae nares mulcet. Licetne mihi eam gustare?

Praegustatrix II: Ego quidem non solum esurio, sed
etiam sitio.

Cato: Venite ambae ad pernam gustandam! Etiam
vini aliquid sumite!

(*Procedunt puellae; pernam gustant, aliquid vini
sumunt*).

Praegustatrix I (vultu fastidens): Perna tua bona est,
sed admodum salsa.

Praegustatrix II: Quidnam audio? Admodum salsa? Isto modo tu hospiti nostro gratias agis? Ego tecum plane dissentio: potius plus salis in ea esse potuit.

Praegustatrix I: Plus salis?! Ista igitur tua est ratio gratias agendi! Ceterum censeo te nimium vini bibisse; aliter non esses tanta loquacitate.

Cato: Tacetote, puellae! De gustibus non est disputandum. Absint a mensa contentio, murmur et ira!

Cantor: Siinäs kuulitte, mitä Cato sanoi: Kiistely, pürnaus, kiukunpúuskat éi sovi pöytään!

Cato: Nunc autem ad mensas accumbamus. Sit felix convivium! (*Os cani destinatum promens:*) Sero venientibus ossa! Licetne mihi togam exuere?

Praegustatrices: Licet hercle!

Ericus PALMEN
Finnus



Sero venientibus ossa.

AENIGMATA

Anno finiente solemus amicis dare strenas, quae fiunt iucundiores, si aenigmata ad eas adiungimus. In unoquoque aenigmate, quid dono datum sit, adumbratur. Amicus noster, antequam involucrium aperiat, rectam solutionem invenire debet. Ut hoc intellegat, possumus rem his versiculis explicare:

Noli nodos aperire,
nisi potes recte scire,
quid sit verbis adumbratum,
versibus his figuratum.

Ergo ad usum lectorum quaedam aenigmata (quae Latine etiam zetemata, griphi, scirpi possunt appellari) composui. Ne solutio nimis sit difficilis, syllabarum, quas recta solutio contineat, numerum lineis additis (- -) indicavi. Praeterea responsum iustum oportet puram cum praecedenti versiculo rimam habeat. E.g. primi aenigmatis solutio duas syllabas et rimam cum vocabulo 'Latinum' contineat. In his aenigmatibus donum ipsum de sua natura rhythmice loquitur:

I

Sumens me post vespertinum
cibum sive matutinum
cave, ne mensale linum
spargas me, nec vestis sinum;
sparge, sodes, Intestinum,
sic loqueris vel Latinum!
Iam solvistis me? Sum - -.

II

Russo rubeo colore,
fluens fluido liquore,
spero, placeam sapore,

me gustabis cum in ore
vel probabis tam odore.

Per me balbus fit facundus,
voce carens cantabundus,
claudus saltat laetabundus,
pallidus est rubicundus,
tristis per me pericundus.

Iuvo rusticum et clerum,
servum, servam, eram, erum,
levo multis pondus rerum.
Iam intellexisti verum?
Persolvisti me? Sum - -.

III


Facta quia sum de vitro,
ne me iactes ultro citro,
corpus meum ne rumpatur
neve cruor effundatur.
Inest in me saepe vinum,
nativum vel peregrinum,
ex me potabis in cena,
scilicet, quod sum - -.

IV

Habituamus in lagoena,
sitim pellimus in cena.
Iam novistis, quae sint illa?
Nos solvistis? Sumus - -.

Rectas aenigmatum solutiones in pagina 6 huius numeri invenies!

Thomas (Tuomo) PEKKANEN
Finnus



De Latinitate recentiore quid senserit Petrus Angelinius

Professor Sacré de Petro Angelinio in Melissae n° 27° tractare ~~incepit~~; legatis quae de illo scriptore eiusque operibus pergit loqui:

Laudantur subinde magnaue voce pronuntiantur versus aliqui venustissimi (et hoc ni fallor loco Angelinius, cum carmen quoddam recentius ad antiquorum amussim expolitum in orationem interclusit, Famianum Stradam, saec. XVII scriptorem praestantissimum in Prolusionibus Academicis eodem modo grassatum, callide est imitatus):

"Aspice, magna Ceres, tibi quos semente peracta ducimus agrestes, rustica turba, chorus." ...

Eo cantu mirifice delectati omnes, immo rapti, haud secus ac si Orpheum audissent, primo siluere; mox ingenti plausu Tibullum consalutarunt... Iamque Trebatius continendo gaudio impar ore et voce, qualis esse solet nuntiantibus insperatum de hoste triumphum: "Quem audistis", clamat, "est Navagerius, non Tibullus!" Quo nuntio allato, ubi versus ipsi apud omnes frigere coeperunt, Trebatius "Nomini ergo plausistis, non homini" exclamat. Lollius vero opprobrio eo non deterretur quominus neolatinos (quos dicunt) poetas variis criminibus inimice insectetur: "Cumque sit poesis praepotens quaedam animi effusio, quid sibi volunt aut quas excitare permotiones possunt imagines ac sententiae non abs te profectae, sed aliunde, quasi merces comparatae? ...Ea aetas tam plena est rhetoricis numinibus, ut facilius deum quam hominem invenias." Nec tamen poetae vernacule pangentes, antiquis dum alludunt fabulis, eiusdem criminis sunt insimulandi: "Neque enim exercendi stili gratia illa excitarunt, sed suae significandae mentis ac voluntatis. Latet igitur sub iis cineribus ignis, latet sub Sappho Leopardius..."

Redditis autem litteris, per quas virorum doctorum coetus epheborum periculis in lyceo Reatino adesse iubetur, dimittitur argumentum disputatione paulisper dirimitur. Hospites vero omnes, ut trium horarum iter sermonibus fallant, iocunde mox inter se confabulantur de senectute. Qua in sermocinatione paulatim ac sponte ad propositum reditur argumentum. Nam Trebatio tempora se puero acta iterum laudanti Lollius haec inter alia opponit: "An

vero studia historiae, quibus aetas nostra vacat felicissime, tot repertis excussisque pervetustis monumentis, pati potuit ignorantiam Latinitatis? Quid suscitatae tam plurimae litterae, nec eae quidem vulgares, sed interiores quaedam et reconditae, quae sine Graeci Latineque cultus notitia nullae fuissent? ...Cumque proximis aetatibus solas aurium delicias profiterentur plerumque litterae, nunc, retenta suavitate, sapientiae declarandae rebusque civitatis tractandis adhibentur sic, ut hunc citra finem veri nominis litteratus censeatur nemo." Idemque in humanistas (qui nuncupantur) inferioresque scriptores iterum se invehit, qui "arripuerunt imaginem quandam Romanae amplitudinis, a rei veritate selunctam, auxeruntque rhetorum agmen"; ceterum "ex veteri consuetudine superest ingens Latine loquentium et scribentium numerus, qui aspera, tristi, horrida oratione utuntur. ...Idem eloquentiam omnem in clamore et in verborum cursu positam credunt, nullam artium cognationem internoscentes, docti latrare ad clepsydrum. ...Quidquid autem in diversis Romanae linguae voluminibus elaboratum est, id totum bonam esse suppellectilem putant, indigestaque omnia quasi in acervum congerunt. ...Dumque vasa Samum, Athenas afferunt noctuas, haud animadvertunt se Latini sermones quotidianos corruptores cachinnos prudentium movere, qui recte scire malunt, quam prave scribere aut loqui... Illud autem inde consequitur ut non quae sit optimi species maxime curent, sed qui brevior cursus atque facillior, induantque pueris eloquentiam nondum lacte depulsis, ut viam faciant iisdem ad sermocinandum, disserendum, arguendum haud minus fatue quam barbare". Quae cum ita sint, adseverare licet veras doctrinas olim non ab Italis esse restauratas promotasque, verum primum a Francogallis, qui paene infinitum eruditionis thesaurum conflarunt, deinde et ab Anglis Batavisque; proxima demum aetate, historica investigandi ratione inducta per Germanos, "factum est ut, cum antea vel pervenisti scriptores tantum Latini sermonis tenerent, quantum beneficio memoriae tenacioris haesisset, nunc studiosissimo cuique adolescenti brevis liceat rationem totius linguae scienter exponere. ...Fortuitis ingeniorum fructibus praesens cultura suffecit rationes certas et praecepta dicendi. ...Qua consuetudine fit ut etiam Latine non

scripturi - neque enim id caput est, nec interest omnium - id certe assequatur, ut in interpretandis optimis auctoribus ac vetustissimis adhibeant prudens sincerumque iudicium; qui vero ingenii exercendi gratia in Latina scriptione velint periclitari vires, haerere primo videantur; brevi tamen vel in timido salubritas Latinae dictionis ac sanitas deprehendatur." Itaque, cum Trebatio aequales leviores tantum res tractarint, funebres ut laudationes orationesque de pietate cum litteris coniungenda, neque eas quidem sermone tractarint vere Latino, nunc praeter philologos optimae notae (velut Krebsium et Nägelsbachium) artifices in scribundo inveniuntur haud pauci, velut Didacus Vitriolius, Ioannes Pascolius, Ioannes Baptista Gandinius, Petrus Rasmus, Maurus Riccius (quos quod tam magno numero affert Angelinius, gratiam habeo; est enim haec enumeratio viris saeculi XIX studiosis magno emolumento).

Ultima autem dialogi parte quid Lollii Angeliniivie sententiae spectent exemplis allatis luce clarius manifestatur. Coetus enim noster iuvenum ad turbam doctrina temptandorum adstat seseque eis vires periclitantibus miscet. Atque de rebus antiquis interrogantur complures, quorum hic, cum vix sibi sit conscius quae legerit, Homeri tamen versus Latine et eleganter vertit, ille de quaestione Homerica eruditus refert, succensente interdum Trebatio quod homo temerarius curiosius audeat exquirere quae monumenta malorum tradiderunt. Unus deinde ex discipulis rogatus quid sibi velit sententia quaedam Tulliana, primo obmutescit, tum aliqua garrit. Quem intercipit Trebatius: "Haud equidem tantum oneris imponam nostris adolescentibus, nihil ut iis putem licere nescire. Satis est ut ornate ab iis copioseque dicatur." Itaque discipulus, demirante Trebatio, oratiunculam habet eiusmodi, ut in inani tantum volubilitate verborum vix probandorum fere moretur: "Habet praesens aetas multas causas doloris ex opinionum monstris atque absurdis systematibus, quae anarchiam quandam intellectualem constituunt, nempe ex rationalismo, communismo aliisque huius generis doctrinis. Nolite his calamitatibus excidium addere Latinae eloquentiae...". Reliqua deinceps oratio digreditur vel potius transit ad verba aut nova aut a Cicerone non usurpata, quae sunt, ut alia mittam, philosophice, anarchia, intellectualis. Qua in re Lollius, nonnullis locis e Tullio allatis, ostendit aetatis aureae scriptores perpauca verba Graeca Latina civitate donasse; Tullium autem plerumque vel fusius dicere maluisse vel interpositis verbis "ut Graeca voce utar" purgasse se legentibus. Talia ergo verba, licet Thomae Vallaurio, "purissimo Latinitatis laticii", fuerint in deliciis, vix sunt probanda. Praeterea demortui sermonis reliquiae nobis sunt colligendae quales exstant, non arbitrio effingendae. Optimus porro linguae usus deducendus est a Tullio Iulioque Caesare, cognitio vero sumenda e singulis eloquii aetatibus. Accedit quod operum genera inter se sunt discernenda, ut oratoribus oratores tantum sint imitandi. Quibus de causis adulescentis oratiunculam auream dicere minime licet: "Ita fuit confusa, ita implicata, tanta insolentia ac turba verborum, ut quid in re manifestissima dicere vellet non appareret. Absunt omnia, omnia redundant." Nec est cur sermonis vitia sileamus: "Quaero autem qui sibi finxerit haec

perridicula: realis, moralis, intellectualis, materialis, idealis, rationalismus, communismus et alias huiusmodi delicias. Haec audere si licet, cur nefas erit e corpore deducere corporaturam, e pectore pectoralem, e manu manescum, e brachio brachiantem, e negotio negotiantem, e liquore liquoristam, e Latino Latinistam? ...Sed uterque nostrum cauti Syrtes vitavimus, nulla re proposita, de qua non possemus cum Tullio disserere. Quare de mathematicis, de physicis nihil; nihil de novissimis inventis, commerciis, industriis; de praesenti denique hominum societate, non nisi quae cum antiquis communia essent, attigimus. Scilicet nulla urget necessitas vitiose loquendi, ut imperitis docti esse videamur." His ergo aliisque eiusmodi verbis verborumque iuncturis docta examinatis trutina, sermo ad serum usque diem producitur auctoritasque Vallaurii, qui "suae artis antistes ac divinitus delatus" antea est habitus, multum imminuitur. "Expurgandus ergo sermo corruptus; volvendi libri de Latinis litteris, quos aetas nostra dedit innumerabiles, neque abditos illos neque obscuros, nisi forte iis, qui erecti et celsi huc illuc intuentes "malunt videri contemnere praeclare quam discere". Denique dialogo facetus imponitur finis. Urbani enim sales huic libello non desunt, quos ego ne nimis essem longus, invitatus praetermissi; unum saltem mihi liceat afferre exemplum, quod, modo Vallaurium in senatum fuisse electum meminertis, me interprete non eget:

Treb. : "Non est demortua Romanorum lingua. Vivit, vivit!"

Cens. : "Vivit? Immo vero, per T. Vallaurium, etiam in senatum venit."

Quid multa? Quamquam multa in eo libro inesse non eo infitias, de quibus cum scriptore dissideant ei, qui pro vivo sermonis Latini usu pugnant, rarissime tamen fieri opinor ut quaestiones ad rem nostram pertinentes gravissimae, historiae fide haud violata, tam subtiliter, tam docte, tam Latine, tam eleganter attingantur dicam an solvantur. Nam velis nolis, argumenta a Lollio prolata saepe tam sunt valida, ut non facile possint repudiari vel contortis refelli conclusiunculis. Quod cum ita sit, reliquum est ut hoc unum optarim, ut, peractis ex editione principe annis nonaginta, liber prelo reddatur, qui plurimorum virorum perveniat ad notionem eosdemque adducat ad rem totam diu diligenter industrie pensitandam.

Theodoricus SACRE


**Noli haec verba legere
antequam paginam 4 perlegas!
Nam sunt aenigmatum solutiones:**

I vinum.
II merum.
III haecena.
IV villa, id est vinula.
cf. Terentii Adelphos 786, ubi hoc vocabulum reperes.

ITER LATINUM IN ITALIAM SEPTENTRIONALEM

Ut iam nuntiatum est, exeunte proximo mense Iulio Fundatio Melissa instituit peregrinationem Latinam in Italiam Septentrionalem ubi sodales Itali nos in nonnullis locis singularibus ducent. Comitante Dr P.C. Eichenseer, iter fiet seminarium ambulans. Programma definitivum hic sublungitur.

Si iter participare cupitis, vobis adhuc licet nomen dare: nam aliquot loca supersunt. Sed nolite nimis lente festinare !



Die 21° m. Iulii: singuli participes Mediolanum suo Marte petent (noctu, si tramine ferriviario).

Die 22°: cuncti matutino tempore convenient. Mediolani lustratio.

Die 23°: Brixia - Sirmio - villa Catulli - Lacus Benacus - Verona. Vespertino tempore, in harenis Veronensibus: spectaculum Iosephi Verdi c.t. "Vis fati".

Die 24°: Veronae lustratio.

Die 25°: Mantuae lustratio.


Die 26°: Bononiae lustratio. Universitatem Bononiensem lustrabimus, ubi hoc anno propter 900^{um} anniversarium commemorandum sollemnitates agentur.

Die 27°: Parma - Castellum Arcuatense - Cremona - Placentia.

Die 28°: Cartusia Papiensis - Pavia - Mediolanum. Denique singuli suo Marte domum suam revertentur. *Lut.*

SEMINARIUM LATINUM

Vestendae apud litus Belgicum habebitur a die 11° in diem 18^{um} m. Augusti a° 1989°, Dre P.C. Eichenseer moderante (legatis quaeso quae de his rebus in ultima Melissa pagina nuntiantur). Hoc anno inter seminarium fiet excursio totius diei ad litus Morinorum. Autoraeda longa Vestenda proficiscemur hora circiter nona. In itinere invisemus oppidum "Cassel" (Castellum Menapiorum, olim Menapiorum oppidum caput) et oppidum "Thérouanne" (Tarvenna, olim oppidum caput Morinorum). Inde, quantum fieri potest, sequemur antiquam viam Celticam qua ab oppido Tarvenna ducebatur ad portum Morinorum c.n. Portus Itius. Paulo ante Portum Itium ("Sangatte") consistemus in iugo Pulchri Prospectus ("Col de Belle Vue") unde optimum prospectum habebimus ad Portum Itium. Ibi prandium una sub divo sumemus et Gaius Licoppe narrabit secundum Albertum Grisart cur Portus Itius Caesaris cum hoc loco congruat. In reditu, invisemus Eurospecum quo Britannia et Francogallia mox coniungentur et urbem Audomarum ("St Omer").



AB OBLIVIONE VINDICETUR...

FERDINANDUS VERBIEST



Praefatio

RUDENTI Plautino plausimus; acta est fabula. Qui spectavimus, de locis surreximus, qui legimus, volumina suis in pluteis reposuimus... quot inter opera? Finge te Crassum esse, omnia tibi esse opera finge, quae scriptoribus Romanis edita Opici mures non coroserunt, quaeque caeruleis voluminibus compacta sigillisque munita ex aedibus B.G. Teubneri prodierunt: ea nonne plutei ad summum quattuor tenebunt? Deinde quot scripta a saeculo XIV ad nostrum usque Latine sint divulgata, conare ad calculos revocare: nonne tibi multiplicativa distributiva cardinalia, quae puer aegre didicisti, cito deficient? Tum eosdem libros in pluteis collocare molire: num eos caeliscalpium pluteis undique refertissimum capere poterit? Nullum sane poterit! Ut ad oceanum mare, sic ad antiquas litteras neolatinae. Quid ergo? Num miser vitam degere cogaris, huc illuc cursitans, nec solum nervos ac vires perdere, dum omnes libros in manus sumere vis, sed etiam oculorum aciem lippitudine afficere, dum ipsa volumina ad extremum revolvere conaris? Minime oportet. Citius enim harenas, quot habet litus, numerabis, quam scriptorum neolatinorum partem decimam legas. Est id vulnus virorum litterarum studiosorum nunquam non crudum, quod quamvis magnum secum ferat dolorem, hoc tamen habet commodi, quod etiam nunc fit ut scripta alia ex aliis in lucem proferenda reperiantur atque illustranda, quae tenebris diu et pulvere obducta iacuerint. Oritur hinc *εὐθουσιασμός* sive furor quasi quidam benignus idemque singularis et philologis classicis, quos dicunt, vix notus... Similis es enim viro illi in Labyrinthum coniecto: sinistrorsum erras et dextrorsum novasque temptas vias, quibus repertis fallacis aedificii et ingentis forma paulatim recluditur fitque palam. Inquires: "Tempusne perdis et oleum? Suntne ista vere digna quae recognoscas?" Ego vero fateor in eis cornu copitis non pauca offendi quae sint mala, plura vero quae sint mediocria, plurima quae vel optima; optima autem appello quae inventionem dispositionem elocutionem inter omnia excellant quorumve fortuna imprudentibus nobis fuit magna.

Quod autem mihi obicit usum linguae et externae et mortuae, tam veterem canis cantilenam, ut aures occludere mihi liceat tacto. Illud unum te interrogo, num Samuel Beckett Eugentiusve Ionesco aliive fabularum absurdarum, quae nuncupantur, scriptores patrio semper sint usi sermone? Num, ut antiquos, delicias tuas, nominatim appellem, pater Ennius, qui tria se corda habere asseveraret, Graecum, Oscum, Latinum? Num Claudius Claudianus poeta? Iurene mortua dicitur lingua qua viri licet pauci etiam nunc utantur, qua carmina fundantur quaeque novis effectis vocabulis ditetur? Quod si hoc tibi argumento persuadere non

potui - vereor autem ut potuerim -, sume, sodes, sume Erasmi opera in manus mihi qua ille ex parte mortua sit usus lingua exemplis allatis explica: amabo. Iam habes! Iam manus dedis! Confectum vero te volo, erroris dico convictum; summissa enim et tremula voce contra murmurare pergis: "Praeceptor sum; paucae mihi, immo pauciores in annos mihi tribuuntur horae ad discipulos Latine imbuendos; substruenda sunt igitur mihi ac facienda fundamenta, optinaeque Latinitatis et antiquae auctores sunt mihi explicandi." Recte quidem mones; atqui scriptores neolatinos neque litterarum investigatoribus neque praeceptoribus spernendos aut neglegendos esse censeo. Ut a posterioribus exordiar, rogo ego te cur, qui leviora praelegas cum externos sermones docere incipias, magnifica tamen et gravissima proponas discipulis Latinae linguae elementa addiscentibus. Quos mihi dabis qui a Racineo Francogallice, a Miltonio Anglice, a Goetheo Theodisce, ab Alagerio Italice, a Vondelio Nederlandice adulescentes erudire incipiant? Eosdem vero adulescentes pueritiam vix egressos, cum Latine erudimus, magnificentissimis scriptorum fetibus statim degravamus ac paene obruimus. Accidit hinc ut iidem, cum sublimia tantum atque ad unguem facta interpretentur, scriptoris cuiusque lumina ingenii et artis non nisi aegre dignoscant. Ipsi enim ita eruditi quomodo genus grande ab humili internoscent? Nonne Latinae linguae proprium esse opinabuntur quod artificii est proprium ad lucernam subtiliter elucubrati? Ceterum dandus est aliqui ludus huic aetati iuvenili, ne arcum, semper si tensum habueris, cito rumpas; aliquando laxandi animi. Tunc Cornelli tragoedias assidue lectitas? An et Maigretio praetori urbano interdum indulges? Noli erubescere! Bene enim facis quod meracius non usque bibis: fiet hinc, ut genera litteraria distinguas aliud ab alio, genera dicendi divides aliud ab alio copiasque et vires linguae discursim cognoscas.

Haec autem ingens tibi copia et varietas litterarum neolatarum erit praesto; ex qua suum quisque facile seligat. Nulla est enim cultioris vitae provincia quin suos habeat scriptores eosque numero innumerabili, sive ad litterarum, sive ad singularum artium scriptores respicis. Huc accedit quod cultus Latinus temporibus recentioribus per omnes pervasit continentes omnesque per gentes; nam et Afri Americani Asiatici aliquatenus fuerunt etiamve sunt Latini. Itaque qui diversas eiusmodi res attingit, spiritalia quasi suscipit itinera quibus ingenium alitur atque excolitur. Quodsi quis domi mavult remanere, nationis suae fontes historicos, res domesticas, scriptores suos adeat insinuetque se superioribus temporibus (nec nimis remotis) animisque prioribus, ut se, nationem suam, historiam suam intellegat...

Litterae neolatinae gymnastorum discipulis quamquam sint utilitate et delectatione, puto me hisce

argumentis paucis probasse; eisdem autem clare demonstratum esse opinor, cur omnino sint necessariae. Nam fuere saecula XV, XVI, XVII vere bilingua; non potest ergo altera lingua praetermitti, non licet nobis litteras praetermittere Latinas tam ingenti copia scriptas; non licet viro saeculi XVI studioso Erasmum neglegere aut saeculi XVII Lipsium; haud recte intelleges tragoedias vernacule scriptas, nisi et neolatinas dispexeris, haud recte fabulas Milesiacas, nisi et neolatinas cognoveris, haud recte... at longus fio; ignoscas. Tolle, lege! Quaeque legeris cum aliis communicato! Narrato etiam discipulis antiquorum textuum editiones et interpretationes magna e parte fulcre humanistis, qui eis in rebus fuerunt diligentissimi.

Eas in scriptiones alumni dum animos intendunt, miro corripientur amore linguae Latinae, qua et recentiorum recentissimorumve temporum adiuncta satis Latine expressa esse stupebunt. Quo cum amore Latino ardebunt, totam Latinitatem et antiquam et recentem amplectentur atque adamabunt...

Id utcumque est, ut litterarum neolatarum varietati respondeat varietas opusculorum haec propositorum, nova hac commentariorum nostrorum parte, cui nomen erit "Ab oblivione vindicetur...", edita in lucem edemus et inedita, litteraria et technica, graviora et leviora, poetica et prosalia, vetustiora et recentiora, Europaea et externa; utinam his excerptis et iuniores in castra nostra pelliciamus!

Quoniam autem mihi persuaderi non potest non esse magnam partem legentium, qui saepiuscule offendant textus Latine scriptos et delectabiles et parum notos, ab eis humane ac enixe petierim, ut talia scripta prodant; ab ipsis enim aut a nobis aut a nostrum utroque edita latius patebunt.

Theodoricus SACRE
Meunierstraat, 73
B-3000 Leuven

FERDINANDUS VERBIEST

Caput XXIV. Pneumatica.

Iam a tribus annis, dum aeolopilae vires examinarem, curriculum bipedalis longitudinis ex levi ligno conficiendum curavi, quattuor rotis facillime mobilem, in cuius medio vasculum vivis carbonibus plenum et vasculo aeolopilam imposui; axi priorum rotarum inserui orbem aeneum dentatum, dentibus transversim extantibus et ad horizontem parallelis, quibus apprehensis per aliam rotulam, insertam axi perpendiculari ad horizontem, axe illo circumeunte currus movebatur. Hunc autem axem inserui alteri rotae ad horizontem parallelae, cuius diameter erat unius pedis, et in convexa huius rotae curvatura circumcirca apposui binos asserculos, tamquam alas extantes, quas ventus, per tubulum angustum aeolopilae violenter expulsus, impellens celerrimo motu totam hanc rotam circumagebat et pariter currum impellebat, qui per unam horam et amplius (quanto scilicet tempore durabat ventus ex aeolopila violenter

expulsus) in motu non adeo lento poterat perseverare. Ne igitur spatium a curriculo conficiendum nimis in longum excurreret, axi medio posteriorum rotarum apposui temonem in omnem partem facile flexilem et temonis extremo bifurcato inserui axem; ipsum denique axem inserui rotae maioris diametri, facillime etiam mobilem. Itaque temone ad dextram vel laevam oblique inflexo atque in illo situ per cochleam firmato, curriculum aeolopilae vento impulsus perpetuum ferebatur in circulum magnum vel parvum, pro atrii sive aulae, in qua movebatur, amplitudine, prout scilicet temo magis vel minus oblique inflectebatur. Atque haec quidem machina est principium motus, quem scilicet facile communicare poteram cuilibet alteri machinae curru impositae, exempli gratia naviculae papyraceae, quae vellis suis tamquam vento turgidis instructa semper in gyrum circumambulet; qualem obtuli fratri maiori Imperatoris, totum artis opus machina occultante et deforis audito dumtaxat venti aeolopila expulsi strepitu, instar veri scilicet venti aut aquarum circum navim frementium. Subinde etiam per alium tubulum aeolopilae ferruminatum venti erumpentis vim divisi, cuius tubuli extremo, in modum fistulae praeparato, philomelae modulantis cantum perfecte referebam. Subinde etiam praeludium campanularum horologii hoc instrumento in cantilenas suas animavi: dato hoc principio motus, multa alia non iniucunda excogitare facile est!

Caput XX. Perspectiva.

Perspectiva lucidissimis suis oculis prima omnium oculos Imperatoris in se convertit. Nam statim sub initium primi anni, quo Astronomia nostra sibi restituta est [i.e. an. 1668-1669], Perspectiva eam libere aulam introeuntem secuta est et tres amplissimas picturas iuxta leges suas optime depictas oculis Imperatoris exposuit. Illas P. Ludovicus Bullius, [S.I. Siculus, 1606-1682] ex variis libris Europaeis compositas amplissima forma delineandas curaverat. Tres alias illis similes in horto nostro spectandas usque in hodiernum diem publice exponimus. Vix credi potest quantum haec ars omnium rapuit [sic] ^{~ en} oculos, non solum Pekinensium, sed etiam aliorum, qui ex aliis provinciis cottidie ad hanc aulam confluunt. Certe satis mirari non possunt quomodo in planissima telae superficie tam longi viarum, porticum, atriorum, columnarum et rerum omnium recessus appareant, idque tam propinque ad veram rerum scaenam, ut non pauci, qui haec numquam antea viderant audierantque, dum ex longiori ^{~ el} intervallo eiusmodi domorum et hortorum picturas repente aspicerent, plane decepti fuerint putarintque vivas domos et veros hortos se intueri. Quapropter eiusmodi picturae, praesertim minoris formae, quamplurimae non solum in hac urbe Pekinensi, sed per totam paene Sinam dispersae sunt, adeo ut ipsi Sinenses iam eas passim venales exponant, pluribus scilicet pictoribus exemplar aliquod sive prototypum sibi proponentibus, a quo licet non parum saepe aberrarent, tamen dum umbrationem aliquam assequi se confidunt tum sibi, tum aliis satisfaciunt, internae scilicet imaginationis vi externae imaginis defectum supplente. Nullam hic mentionem facio de



EX ORBE LATINO

QUID AGANT CIRCULI LATINI

Quid agunt latinistae? Quo, quando, quomodo convenire solent? Quot circuli exstant? Ut lectores de his rebus certiores fierent, Melissa nonnullos circulos sibi notos interrogavit. Iam aliqua legere potuistis de circulo Saravipontano (n° 25°) atque de nostro circulo Belgico (n° 26°). Hodie Dr Theodericus KRÜGER quid agat circulus Hannoverensis nobis patefacit.

Dietrich Krüger (Theodericus Cauponarius)

Hannoverensis lectoribus Melissae salutem plurimam!

Circulus noster Hannoverensis post seminarium Patris Caelestis Eichenseer Bononiense mense Decembri a. 1979 a me est conditus. Conventum habemus quarta quaque septimana vesperi, cum semper una vel unus e sodalibus se hospitem ceteris praebeat. Dolendum est, quod plerisque magistris linguae Latinae persuaderi non potest, ut sessionibus nostris intersint, cum usum vivum sermonis Romanorum respuant sive ignorant, quantum gaudii haec res afferre possit, sive timentes, ne barbarismis, soloecismis obsitus sit sermo noster et vitiorum deformitate pollutus.

At sunt alii, quibus sermo Latinus cordi sit, e quibus sodalis fidelissimus **Einar Bruder**, qui a primo conventu semper adfuit, benigne ea, quae sequuntur, scripsit:

"Denuo conventus noster imminet, quem diligenter praeparari et ita ornari decet, ut *con-utuae* undique advolantes vero fruantur *con-utvto*. Nam ars vivendi aliquant(ul)um ars bibendi (et cenandi) esse debet, etsi Romani *symposton*, illud vocabulum a Platone oblatum, tamquam Catone Censorio intercedente in castitatem *con-utvlti* redegerunt. Sed nugarum sat!

Mensa idoneo loco collocata et lagoenis epulisque ibi dispositis animus retro grassatur haud immemor illius diei, qua primum convenimus; id quidem nullo in aedificio privato, sed in taberna publica. Mox autem alicuius cauponis domum sede illius Cauponarii mutavimus, qui et auctorem et fautorem validissimum sermonis Latini exercendi se praestaturus erat. Quo duce silentium atque timiditas paulatim superabantur quibusdam tironibus scholarum exceptis, quos sermo noster attonitos reddere solebat. Per tot vero annos conventus nostri vel maxima vel minore vel minima corona florebat. Et animus ducem supra commemoratum numquam deficiebat, cum defecturi quidam ad "officium" erant revocandi. Nulli quidem ad societatem servandam sumptui parcebat, immo vero ei contigit, ut numero scilicet magno

praeceptorum etiam tales adderet, qui aliis officiis fungerentur. Proinde coniungatur nostra gratia temporum communiter actorum cum spe communiter agendorum!

Hoc opusculum claudere coactus vix retineri possum, quin voce in lyram aucta potius quam mutata celebrem illum, qui

Primus ad integrum miseris nos duxit alumnos usum colloqui, quem veteres nimium liquerunt nobis et plurima saecula colendum. Cur autem miseris? Panditur nunc aditus!"

POEMA LATINUM...

EX IAPONIA MISSUM

謹賀新年

P A X

Publica res, in unda
cycnus ut stagni placida, non quatitur uehendis
milibus incolarum.
salua sis, navis potior nec grauis, o tuendo
dexteritas magistri 5
peruolans! o grex ratibus daedale! uela danti
plaudite, consulares,
nam remulcentur pelage, nam fluit omen aurae.
despice proeliatam, 9
Plance, ui classem, tibi si Gorgonis aut Cyclopum
fabula mosque priscus
uixit et miris, quibus est pax facilis sacrari.
Caesare munda nata est
firmitas orbi: sonitu curia delicato
feruet honorque conpar 15
gentis orator lepidus fert lepidis Latine.
quid Venus ausa bellum
sumpsit accenso mulier cui raperetur Iden
mobilis? aut auaro est
Medus et Graios sibi rex addere Dite motus? 20
an fugienda Dido,
uiuat Aeneae? pius an iussa Iouis repellat?
posthabita remotae
morte, post armis Italos uae Libyci domabant.

CECINIT KAL. IAN. A. V. C. MMDCCXLII

ARITVNEVS MIZVNO

〒606 京都市左京区下鴨南茶ノ木町31-3 水野有庸

SI QUIS AD CURIAM REGNI SUETICI LATINE SCRIBET, EI LATINE RESCRIBETUR !

Amicus noster Francogallus Clemens Desessard, cum in diario quodam legisset regem reginamque Suetiae a politaneis reprehensos esse quod in aurtoraeda non cingerentur zona securitatis, de hac re epistulam Latine scriptam ad regem Carolum Gustavum misit. Mirandum! Non solum responsum accepit, sed responsum Latinum! Saepe hoc argumentum contra Latinitatem Europaeam profertur, quod regiones "Germanicae" Latinitatem eodem studio colere non possunt ac regiones ubi linguae romanae adhibentur. Certe res ita se non habent, ut hoc exemplo monstratur. Nam sunt in Curia Suetica qui Latine scribere sciunt, sed suntne in Curia magis

meridionalibus? De hac re dubitare licet. Si quis lectorum adhuc incredulus est, ipsam Curiae Suetiae epistulam legat:

*In Castro Regio Holmiae
die 9 Augusti A.D. 1988*


Clarissimo Domino Clementi Desessard

A Sua Maestate Rege Sueciae admonitus, gratias Vobis ago propter epistolam Vestram die 26 mensis Maii A.D. 1988 scriptam et missam. Nunc in conclusiones Vestras bis annotare velim:

Pro primo: zona quae a securitate appellatur secundum computationes publicas multas vitas humanas salvabat et salvat. Zonae beneficio gravium casuum ratio 70% decrescere in Suecia aestimatur.

Pro secundo: ius Regi et Reginae Sueciae est sine zonis securitatis vehi cum Maestates in profectioe partem habent. Ista regula quae a lege excipitur propter Maestatum securitatem propriam constituta est. Ergo minister Securitatis viariae qui Regem et Reginam reprehendit falsa opinione ducitur. In nomine Suae Maestatis Vobis, Clarissime et Doctissime Domine ac Provinciae pulcherrimae quae Regis proavorum patria erat Fortunata incola, salutationes benignas transmittito.


*Ioannes ab Kuylenstierna
Primus Marescalcus Curiae
Regiae.*



Haec inscriptio legitur in platea ante aditum domus regiae Holmiensis.

LINGUA LATINA IN ACTIS DIURNIS NEDERLANDICIS ADHIBETUR !

Unus ex amicis nostris, Dr Willelmus van Best Roterodamensis, hanc symbolam Latine conscriptam excerptit ex actis diurnis c.t. "De Ster van Kralingen" (n° 50°), in suburbium urbis Roterodami distributis. Qua symbola quidam Paulus Breevaart Latine profitetur se factioni democraticae favere:



Lectoribus Cralingiensibus Salutem!

In ordine decurionum decurio satis multos cives origine varia concilia frequentantes aspicio. Quae voluptas est hic in tempore terendo aliquantum vesperarum? Emolumentum tam parvulum pro temporis sacrificio? E furore disputandi percepta satisfactio? Spes magnorum vel etiam ampliorum honorum? Diversis hominibus causae diversae isnt, mihi guidem cum civibus consueto una est. Mihi plures causas esse probabile est, sed aut nescio aut nihil negotii vestri est. Forsitan psychologorum est!

ADREM

Ad rem redeam. Cralingen vero vicus est, in quo satis commode habitari posse mihi videtur. Sunt etiam nunc loca multa magnae amoenitatis, quae satis aestimare vir non potest. Quis Cralingianam silvam nescit? Cralingen sic liberaliter virentibus naturae donatum esse cui ignotum est? Qui nescit comploro.

DISCRIMINE

Ceterum huius vici dipartitio memorabilis est, na magno discrimine ad

occasum spetans pars a spectantie ad orientem separatur. Qui negat non imbutus rebus Cralingianis est aut caecus vel sibus societatem aequitatis maioris quam in rebus comperitur fingit. Deinde muti hic sturiosi Erasmi habitant ad doctrinam artesque colendas complurium facultatum, velut iurum ac medicinae. Universitatem EUR Cralingen nostro sitam esse mihi non incommodum videtur vel etiam fructus nonnullos ex ea re percipiendos esse aestimo, sed habitatores in primis vici papilionis nomine saepe se illorum moribus valde vexari queruntur. O tempora, o mores!


POLITICARUM

Puto vobis lextoribus notitiam aliquam rerum politicarum vici nostri varii esse, certe lectoribus "Ster van Kralingen". In hoc diurno mirabili, in quo mercaturam loci tot novis Cralingianis coniunctam, saepe nomina capitum partium politicarum legimus. Vos nomina vel photographias Iani Kolkman vel praesidis Teerstrae vel mei ipsius Pauli Breevaart cognovisse coniecto.

DEFENSOREM

Qui nescit Wilhelmum Lau, virum aliquanta obesitate, defensorem stratorum viarum nostrarum? Equidem partibus democraticis D66 faveo, caput earum in concilio decurionum Cralingiensi. Io Cralingen vivat et D66 in illo!

Paulus Democraticus (P.S.: spero columnam ab aliis sine vitiis linguae Latinae imprimi posse!).



sequitur p. 9

parallelogrammo pictorio P.N. Christophori Scheineri [S.I., 1575-1650], cutus usum statim sub initium, quo Imperator nos in conspectum admisit, exdigo ex laminis argenteis confecto instrumento explicui et coram demonstravi.

Locos quos heic exscribendos curavi duo excerpti ex opere quod inscribitur Astronomia Europaea sub Imperatore Tartaro-Sinico Cam-Hu appellato ex umbra in lucem revocata a R.P. Ferdinando Verbiest Flandro-Belga e Societate Jesu... (Dilingae, typis et sumptibus Joannis Caspari Bencard, 1687; pp. 87-88 et 78-79).

Ferdinandus ille Verbiest, Societatis Iesu sodalis, annos abhinc trecentos in urbe Pekinensi mortem obiit; quare memoria eius anno 1988 peropportune colebatur a civibus nostratibus. Idem lucem hauserat Pittemi in vico Flandriae Occidentalis; tuventis annorum sex et triginta Sinenses ad oras appulit; qui pro sua rerum mathematicarum peritia vicarius mox successit muneri Adami Schall Colonienensis S.I. atque Academiae Pekinensi sive Tribunali Astronomico praefectus est. Dum vixit, disciplinas cum alias, tum astronomicam Sinenses eo fine naviter edocuit, ut quorum artes Sinen-sibus antecellere luce clarius viderentur, eorum et religio ceteris longe praestare existimaretur. Id ergo petivit missionarius per institutionem, petivit et per opuscula tam Sinice quam Latine scripta. Astronomia autem Europaea, cum principem principive proximum teneret in his locum, ab oblivione iure ac merito est vindicata, foras edito libro cui titulus Astronom van de Keizer. Ferdinand Verbiest en zijn Europese Sterrekunde (Lovanii, 1988), auctoribus Udalrico Libbrecht et Natale Golvers philologis, cutque ipsius opusculi interpretatio Neerlandica est addita. De aeolopila pauca scripsit Udalricus Libbrecht, "Het wetenschappelijk werk van Ferdinand Verbiest", Onze Alma Mater, 41 (Lovanii, 1987), pp. 309-324.

Theodoricus SACRE



SIMPLICISSIME

quomodo varia exprimantur

cf. VOX LAT. n. 60: 16 (1980) p. 168.

DE BAHAIISMO

II, qui seminarium Latinum in Helvetia iam participaverunt, in monte proximo aedes albas videre potuerunt: hoc magnificentum aedificium est unum e multis sectae Bahaiorum. Haec secta colit prophetam Persicum, cui nomen Sajjid Ali Mohammed (1820-1850), cognomen "Bab" (id est "porta" et subauditur "qua ducitur ad veritatem divinam"), qui in urbe Taure (Tabriz in Irania) supplicium passus est atque necatus.

Discipulus eius Bahá'U'Lláh natus est Teherani in Persia anno 1817°, mortuus anno 1892°. Quadraginta annos in carcere conditus est, ubi plus quam centum opera conscripsit. Omnes cogitationes eius, et religiosae, et politicae, et sociologicae, ad unum scopum tendunt: pacem universalem.


Bahaiorum religio est syncretismus omnium religionum: singulis dogmatibus ritibusque ablatis, omnes religiones coniungi debent ut Deum una colant. Fides Bahaiia nullo modo recusat anteriorum religionum principia: tantum vult ea coniungere. Ergo Christus, Mahometus, Budda sunt prophetae eiusdem veritatis. Secundum Bahaios, Dei notitia est progressiva: nam semper augetur et augebitur, quia alii prophetae in futurum exspectantur. Religio duos scopos habet: unitatem et concordiam. Quis dici potest Bahaius? "Is est Bahaius, scripsit Abdúl Bahá, conditoris successor, qui omnes homines amat atque operam dat paci et fraternitati inter omnes gentes."

Isdem principii doctrina politica regitur: Bahai petunt disarmationem, pacem universalem, communionem omnium populorum, iurum aequalitatem pro omnibus - et viris et mulieribus -, tribunal mundiale arbitrii, abolitionem nimiae opulentiae et nimiae egestatis, eandem educationem pro omnibus, linguam universalem. Ut hunc novum ordinem instituerent, Bahai condiderunt associetatem a gubernio non pendentem quam Organizatio Nationum Unitarum agnovit anno 1948°. Ius consulendi anno 1970° acceperunt a Consilio Oeconomico Socialique. Etiam operam dant Associetati Nationum Unitarum Infantiae Fovendae (UNICEF) in urbibus Novo Eboraco, Genova et Nairobi. Insuper multa scribunt de hominis iuribus, de mulieris condicionibus, de institutione scholari, de progressu sociali, de scientiis technologicisque, de alcoholismo et de psychotropicis, de circumiectis, de iuventute, de aliis.

Omnes res, omnes eventus, omnia consilia Bahai participare volunt. Si colloquia internationalia fiunt, adsunt. Si seminaria a Nationibus Unitis instituuntur, adsunt. Si quae celebrationes fiunt, ut annus 1975^{us} fuit annus mulieribus dedicatus, etiam adsunt. Est quasi "ubiquitas". Sed, quamvis ad universalitatem tendant, singulas nationes non con-

temnunt. Nam Bahaius patriam suam amat atque eius utilitati fideliter et probe servit. Sed despicit procellas politicas et proposita nationalistica: nam propter supranationalem scopum factiones respuit.

Bahaismus sedem habet in urbe Hefa in Palaestina: ibi in templo magnifico cum tholo aurato conditum est corpus prophetae "Bab". Iuxta est templum marmoreum quod est exacta imitatio Parthenonis (cf. photographema). Templi Bahaiia sunt ornatissima et pulcherrimis materiis exstructa. Maxima eorum vocantur "Septem Domus Unitatis" et collocata sunt in America Septentrionali, in Australia, in urbe Campala, capite Ugandae, Francofurti in Europa, Panamae, in India et in insulis Samoanis.



Bahai florere videntur, praesertim in America. Habent 115.000 sedes, viginti domus editorias, multas scholas (et permanentes et temporarias), nosocomia, sedes ad meditandum aptas, institutum investigationum Toronti in Canada. Etiam emissiones radiophonicas proponunt.

Curiositate impulsus, plura scire volui de huius sectae sodalibus. Nunc mecum plura scitis. Quid iudicandum sit tamen plane non patet. Cum omni conatu laborent ad pacem efficiendam, Curtius Waldheim, Nationum Unitarum Secretarius, eos palam laudavit.

Francisca DERAEDT



Scientia politica

DE CONSERVATIVISMO

Conservativistae dubium non est quin a conservando nominentur, sed quid hoc vocabulo exprimat quae quae quae.

Conservativistae primum definiiri possunt eo, quod inimici esse videntur omnibus rerum mutationibus, id est resistere videntur mutationibus socialibus politicis religiosis. Qua e definitione colligitur conservativistas semper defendere rei publicae societatis religionis statum illum, qui nunc existat, eosque minime esse paratos ad res mutandas. Verum haec definitio cum sit parum diligens, acutiore utamur et deliberatione et consideratione.

Conservativistae enim tres in partes dividi possunt:

- 1) il, qui quae existunt res defendunt nec mutare cupiunt;
- 2) il, qui quae existunt res et defendunt et, si fieri potest, reformare volunt;
- 3) il, qui quae existunt res nec defendunt nec reformare volunt, sed prisca laudant tempora illa et res gestas in pristina aeva revolvere cupiunt, "reactionarios" dico.

3) Reactionario persuasum esse videtur mundum semper mutari, sed haec mutatio in falsam directionem illi videtur agi. Quocirca negligens sui ipsius temporis reactionarius id agit, ut pristina renoventur tempora et status quamquam sint obsoleta: quibus postulatis probat reactionarius se non intellexisse hominem ex historia evadere numquam posse nec tempora sua effugere. Qua e sententia videmus reactionarium - horribile dictu - neque historiae nec traditionum esse amantem, sed extra historiam vivere homines credentem...

1) Illum qui nihil omnino mutare vult luce clarius est ex Optimatibus esse, quia omnia quibus sibi opus est cum secum habeat et teneat numquam intellegit, quare quid sit mutandum (permulti sunt, qui sic cogitent in hodiernis Occidentis regionibus, quamvis de re publica paene nihil deliberent!). Sed maximum huic cogitandi rationi inest periculum: non enim licet semper tenere quod est, quia semper semperque mutantur res mutatur historia, vel ut Boethii verbis utar (De consolatione philosophiae II m. 3, v. 17-18): *Constat aeterna positumque lege est, Ut constet genitum nihil.*

Sic optime videmus illum qui hanc cogitandi sequitur rationem semper cum Historia ipsa pugnare, quo proelio quin vincatur dubium non est; quae cum ita sint, aut fiet reactionarius aut abicit hanc rationem et verus fiet conservativus, cuius intererit reformare aliquid.

2) Et hic vere conservativista nominatur, qui historiae et traditionis vi cognita reformare vult quae reformanda sunt. Huic enim persuasum est res in historiae cursu concretas semper esse reformandas, quia mutantur tempora - tamen ipse numquam obliviscitur e rerum gestarum fontibus permulta bona exhaustiri posse, et sic numquam sequetur illos (socialistas exempli gratia) qui de "novo homine" vel de "nova societate" allucinantur.

Omnes conservativistae et contra rationalismum (= liberalistarum) et contra utopismum (= socialistarum) id agunt, ut homines vere homines sint et ut res publica et fortis existat et liberalis! De conservativistis in rebus publicis vero cum proximo agamus articulo, nunc de principiis opinionum conservativistarum videamus.

E principiis illis aliqua signa proferre licet, quibus quid cogitent conservativistae optime intellegi poterit.

- 1) Quamvis conservativistarum rationem politicam sequantur multi qui neque in Deum christianorum neque in Deos neque in religionem quandam credunt, tamen constat conservativistas inesse historiae numen quoddam vel providentiam aliquam credere.
- 2) Conservativistae semper sequentur illud quod res docuerat et abominantur theorias absolutas, quae probari nequeunt.
- 3) Conservativistae non postulant libertatem pro omnibus eandem, sed suas unicuique libertates quibus utatur et fruatur secundum suam voluntatem; et haec libertates quae postulantur in historia concrevisse necesse est.
- 4) Quod vero maximi est momenti conservativistarum rationi in hac exprimitur sententia: penes homines maxime sunt necessaria Imperium Potestas Potentia Auctoritas, sine quibus res publica nulla existere possit. Quae auctoritas cum existat, existit et hierarchia vel ordo inter homines; quo efficitur homines minime esse aequales quoad homines ideoque diversissimis illos et iuribus frui et officiis fungi. Haec opinio contra socialistas vigilat.
- 5) Proprietas hominis privata ut existat postulant conservativistae (quo unico solo postulato cum liberalistis iunguntur).

Conservativistae omnes in re publica totum inesse negant, sed rem publicam constare confirmant e familia gente natione: sic rei publicae moderatores non ad totam rem publicam, sed ad familias gentes nationes spectare debent et id efficere, ut eae quam optime vivere possint: haec enim, ut aiunt conservativistae, optima est ars politica!

DE NOVIS LIBRIS

Genovefa IMME, Ludi Latini, Editiones Magnard, Lutetiae, 1988.

Eo libro Genovefa Immé ad complures fines adspirat. Ludos enim excogitavit ut lusores linguam Latinam modo vivo atque iucundo colerent, ut vocabulorum scientiam auferent, ut diversas disciplinas, historicam, geographicam, mythologicam et litterariam sine ullo labore discerent. Praeterea his ludis, qui ad mentem pertineant, lusores facultatem cogitandi et ratiocinandi sibi exercent.

In eo opere, quod fere centum paginas numerat, Genovefa Immé ludos varios et diversos proponit. Quos ludos iuniores, qui sermonis Latini nondum peritiores sunt, et seniores, qui linguam Latinam vivam aggredi cupiunt, resolvere possunt. Sunt enim ludi faciles, inter quos *nomina arcana*, quae in cancellis abdita sunt, diversa *anagrammata*, *pricipia*, i.e. vocabula quae omnia eisdem litteris incipiunt, *invasores*, i.e. vocabula quae in serie quadam externa sunt, *homonyma*, quae imaginibus illustrata sunt, *depicta aenigmata*, quae sententiam repraesentant. Sunt etiam ludi difficiliore ut *decussata verba*, *aenigmata syllabica*, Francogallice "charades", quaestiones logicae, nomina hominum illustrium invenienda, *experimenta animi*, quibus lusores indolem suam melius discernere possunt.

Sunt igitur ludi quidam, quos lusores soli resolvere possunt, et alii, qui compluribus lusoribus proponi possunt. Sessione quadam extraordinaria circuli nostri Belgici, quae Montibus mense Ianuario facta est, nonnulli e discipulis meis complures ludos, ex opere Genovefae excerptos, coram proposuerunt. Omnibus optimum experimentum erat, primum enim hi discipuli linguam Latinam oralem exercebant, qui tamen periodico "Nunc Est Gaudendum" conficiendo linguam vivam, sed scriptam, iam colebant. Apparuit enim inter linguam oralem et linguam scriptam iter longum esse. Discipuli non solum vix ullum verbum proferre sciebant, id quod imperitis fieri solet, sed etiam sententias nisi simplicissimas vix intelligebant. Qua de causa puto ludorum definitiones quos Genovefa proponit sine magna difficultate legendo intelligi posse, audiendo autem non tam facile. Sed Genovefa omnino non reprehendenda est: liber enim plerumque legi solet!

Quae cum ita sint, Genovefa Immé summis laudibus digna est, quae latinitatem non solum studiosissime colat, sed etiam ardentissime curet ut eam propaget. Gratias Genovefae pro alacritate et vi fingendi insigni.

Iacina VERREET

sequitur p. 2

linguae", velut initiatio ad delectationem creationis litterariae.

Modo practico haec praecipue sunt suadenda:

- textus originales selecti sunt praeparandi et explicandi verbo et imagine;
- pro primis classibus, oportet textus litterarii transformentur ut simpliciores et faciliores intellectu fiant.
- oportet "didactici" non neglegant commoditates novarum rerum technicarum.

Quibus thesibus attentissime perlectis, nonnullae animadversiones mihi in mentem veniunt.

Imprints gaudeo quod quarta fere Europaeorum discipulorum pars linguam Latinam addiscendam eligit; quo in dilectu, certe maximi momenti est pondus patrum memoriae hereditique cultus civilis Europae. Pro certo tamen non habeo taedium institutionis Latinae talis qualis nunc est causam partim non esse "evaporationis" discipulorum, tam post unum annum.

Gaudeo etiam quod docentes videntur recte aestimare momentum nostri herediti Latini ad unitatem mentis Europaeae fovendam. Maxime tamen doleo timiditatem propositorum, quae legi. Nihil aliud inventur nisi illae tres columnae institutionis scholaris Latinae, quas tam XVIII^o saeculo excogitaverunt "defen-

sores" latinitatis ad eos repellendos qui tunc temporis statuerant linguam Latinam inutilem factam esse:

- *mentem iuvenum exercere ad analysin et synthesin;*
- *fundamenta vocabularii addiscere;*
- *mentem antiquam invenire, radices cultus civilis nostri in ipsis textibus detegere, nulla interposita translatione, cum translatio sit proditio.*

Ergo nil novi!... id quod aspectu scientifico occultare conatur sermo elaboratus, affectatus et saepe vix intellegibilis; vigetne adhuc in sermone Francogallico haec famosa sententia: "ce qui se conçoit bien s'énonce clairement (id quod bene concipitur, dilucide enuntiat)"?

Ea quae in thesibus Vesontinis proponuntur, mortem linguae Latinae confirmant atque impedire non poterunt quin institutio Latina e schola de facto expellatur.

Aliquid vere novi nostro sensu proponendum est: id est verbo, scripto, exemplo, commercio inter gentes Europaeas multiplicem necnon practicam utilitatem linguae Latinae palam demonstrare.

Gatus LICOPPE




LATINE LOQUI... UBI CONDISCATUR

SEMINARIA LATINA

Dr P. Caelestis Eichenseer hoc anno moderabitur duo seminaria, ubi sua solita via iucunde docebit sermonis Latini usum cottidianum:

11 - 18 m. Augusti a° 1989°, Vestendae (Westende) in BELGICA



ad litus maris harenosum, ubi pernoctatio victusque in hospitio communi relative parvi constant.

Invitantur:

- Magistrae magistrique linguam Latinam docentes. Facile Latine loqui addiscere possunt, id quod plerisque magno gaudio et utilitati est. Ceteris optimo exemplo erunt.

- Studiorum universitatum alumni vel etiam scholarum discipuli linguae Latinae rudimentis iam imbuti. Qui novum mirumque suae scientiae usum invenient.

- Omnes linguae Latinae cultores, praesertim qui censeant hanc linguam optimum, quin etiam necessarium, unionis vinculum fore inter gentes Europaeas.

Ad quod participandum, interrogandus est:

Dr Gaius LICOPPE
Avenue de Tervueren, 76
B-1040 Bruxelles
Tel. 02/734 55 42

20 - 26 m. Augusti a° 1989°, Morsaci (Morschach) in HELVETIA

qui locus saluberrimus aliquibus centum quinquaginta metris supra lacum "Quattuor Regionum" situs est, unde montium clivi bene accessibiles sunt maximeque mirabilis prospectus ad lacum ipsum et ad montes circumiacentes praebetur.

Ad quod participandum, interroganda est:

Erika ROTH
Aeschistrasse, 6
CH-3110 Mösingen
Tel. 031/920823

D.rix lipides albert
...
D-6600 Saarlouis n

ITER LATINUM

21 - 28 m. Iulii a° 1989°

Exeunte proximo mense Iulio Fundatio Melissa instituit peregrinationem Latinam in Italiam Septentrionalem ubi sodales Itali nos in nonnullis locis singularibus ducent. Comitante Dr P.C. Eichenseer, iter fiet seminarium ambulans. Haec pulcherrima loca lustrantur: Mediolanum, Brixia, Sirmio, Lacus Benacus, Verona, Mantua, Bononia, Parma, Castellum Arcuatense, Cremona, Placentia, Cartusia Papensis, Papia.

Ad quod participandum interrogandus est:

Gaius LICOPPE
Avenue de Tervueren, 76
B-1040 Bruxelles
Tel. 02/734 55 42

FERIAE LATINAE

22 - 29 m. Augusti a° 1989°, Nicaeae

habebuntur in Dioecesis Nicensis Seminarii Aedibus, unde pulcherrimus prospectus praebetur ad mare Mediterraneum. Schedae inscriptionis rogandae sunt a:

Clément DESESSARD
Résidence des Collines, C 9
Rue Léo Brun
F-06210 Mandelieu
Tel. 93 49 01 91

SCHOLAE FRISINGENSES

28 m. Iulii - 2 m. Augusti a° 1989°.

Hae scholae omnibus, qui Latine loqui aut ipsi solent aut discere cupiunt, opportunitatem commodissimam huius artis exercendae praebent. Viginti fere scholarchae diversissima argumenta in variis scholis tractabunt. Etiam ei qui non optime Latine norunt invitantur: nam non solum tirones, sed etiam gymnasiorum discipuli, etiam seniores qui Latine iam dediscere coeperunt, scholam suam habebunt. Neque enim Cicerones solos aut Caesares Latine loqui moderatores volunt, sed omnes quicumque Latini sermonis dulcedine tenentur.

Schedae inscriptionis petendae sunt a:

Prof. Dr Wilfried STROH
Universität, Institut für Klass. Philologie
Gesschwister-Scholl-Platz, 1
D-8000 München 22.